



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

MARCELLO S.R.E. CARDINALI SEMERARO

Venerabili Fratri Nostro

MARCELLO S.R.E. Cardinali SEMERARO

Praefecto Dicasterii de Causis Sanctorum

Insignes profecto testificationes annorum progressu singularemque pietatem in Virginem Mariam tribuere consuesse in orbe terrarum fideles probe scimus. Id contingere terram Campaniae in dilecta Italia pro comperto habemus, ubi fidelium multitudo decurrit ad spectabile Mariale Sanctuarium Deiparae ab Arcu appellatae apud oppidum Sanctae Anastasiae, Neapolitana in provincia. Centesimus eventurus est et quinquagesimus annus ex quo tempore, die videlicet VIII mensis Septembris anno MDCCCLXXIV, Beatae Mariae Virginis imago aureo diademate redimita est ex voluntate beati Decessoris Nostri Pii IX. Hoc in Sanctuario sacra haec effigies piis obsequiis colitur et a sodalibus Ordinis Praedicatorum plus quam quattuor saeculis assidue custoditur.

His spectatis rebus, libentes volentesque Reverendi Patris Ioannis Pauli Pagano, O.P., Prioris et Rectoris clari Sanctuarii optatis subvenire cupimus, qui quaesivit ut Pater Purpuratus nominaretur et celebrationi CL anniversariae memoriae coronationis imaginis Deiparae Virginis ab Arcu sollemniter proxime agenda praeeset.

Nos permagna permoti animi affectione te, Venerabilis Frater Noster, qui singulare exerces munus Praefecti Dicasterii de Causis Sanctorum, destinare studemus ad dictam celebrationem, ut ritus ipse congrua sollemnitate evolvatur et pari dignitate absolvatur. Quocirca praestabilem simul aestimationem tibi significantes, his Litteris te **MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM** constituimus, ut eventui illi die VIII insequentis mensis Septembris celebrando praesis ipsamque vocem Nostram significes.

Omnes quippe huius celebrationis participes adhortaberis ut, animis cum sanctissimi Redemptoris

animo coniunctis, universorum donorum ex intercessione Beatissimae Virginis Mariae a Deo Patre impetratorum plene sint conscii eaque ceteris impertienda possint conferre. Patrem Priorem Rectoremque Sanctuarii, omnes adstantes sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque et christifideles laicos Nostro salutabis nomine Nostramque iis ostendes benevolentiam. Oremus igitur et obsecremus hodie Virginem Mariam, ut nostrorum temporum omnibus nobis sinceram, fortem, inviolabilem impetret fidem, in obscuris et in dubiis patientem atque constantem, eam scilicet fidem, quam beatus Ioannes Apostolus nostram esse dicit victoriam, quae vincit mundum (Cfr 1 Io. 5, 4).

Caelestium verum donorum conciliatrix et nuntia esto Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater Noster, libenter in Domino impertimur, quam item ad omnes congregatos volumus pertinere, a te et ab illis petentes auxilium precationumstrarum pro officio Nostro Petrino prospere exercendo.

Datum Romae, Laterani, die XV mensis Augusti, in sollemnitate Assumptionis Beatae Mariae Virginis, anno MMXXIV, Pontificatus Nostri duodecimo.

FRANCISCUS